



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Cap. VI. De statâ & ordinariâ pietate, quâ S. Iosephvs quotidie coli potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

CAPVT VI.

*De statâ & ordinariâ pietate, quâ S. IO.
SEPHVS quotidie coli potest.*

NVSPIAM disertior est amor, quam cum rebus, opere, eorum, que bonorum exhibitione loquitur, quæ illi, quem diligimus, cupere nos profitemur. Quid enim iuvat sæpius ingeminare: Amo, amare volo, colo, colere volo S. IOSEPHVM, quem post Filium & Sponsum eius pluris, quam Sanctos cæteros vniuersos facio: si hic amor ac honor intra verba tantum & labra consistat, nullo cuiusquam operis successu visendus?

Quidquid igitur in medium hoc loco adducam, ad vnum hunc scopum collimabit, vt amori laborem persuadeam: non quòd cogitem, omnia illa suscipienda esse, quæ proponam, quòd minimè affecto, sed vt copiam pro delectu subministrem, meumque Lectorem inducam, quòd secum decernat, velle

velle se posthac pro stato pietatis exercitio, in S. Iosephi honorem singulis diebus obeundo, vnum caput aut plura simul è septem, aut octo, quæ modò explicabo, assumere: ea cuncta tam sunt factu facilia, tantæque utilitatis, vt extra obstinatos & rerum ad salutem spectantium fastidio plenos, nemini bono graue sit futurum, exercitijs à me proponendis se tradere; cum illa omnia non minus gratae facilitatis, quàm insignium commodorum in se plurimum contineant. Nunc à S. Teresiae pietate ordiamur; tum reliqua prosequemur.

I. S. Iosephi imaginem aut in oratorio, aut in cubili, aut in precatorio libro, alioque loco habere. S. Teresia enim vnicè deuota id agere minimè neglexit: vt enim ex gestis eius habetur, supra omnium Monasteriorum, quæ erexit, postes B. Virginis, ac S. Iosephi imaginem collocauit; cumque hinc inde, ad instituenda noua alicubi monasteria, iter ageret, semper penes se

S. IOSEPHI vultum depictum ferebat;
 quæ imago nunc Abulæ seruatur;
 eumque Diuum Ordinis sui Fundato-
 rem dicitabat. *a* Illi verò pietati an-
 sam Christi D. N. alloquium dedit, quo
 fuit post SS. Communionem aliquan-
 do recreata, circa idipsum tempus,
 quo magnis difficultatibus in causâ
 Monasterij Abulæ sub S. IOSEPHI au-
 spicijs inchoandi exercebatur. In eo
 colloquio IESVS illam iubebat omni-
 bus viribus ad Monasterij illius ædifi-
 cationem conniti, successum operis
 pollicitus; eam rem ac structuram
 multum suo honori addituram, fida-
 que illic sibi obsequia præstitum iri;
 addidit, eum locum à S. IOSEPHO no-
 minandum; ad vnâ Monasterij por-
 tam S. IOSEPHVM, ad alteram SS. Ma-
 trem suam excubias acturam; se quo-
 que ipsum ei loco & inquilinis præsti-
 dio fore. Itaque S. Teresia de volunta-
 te Dei iam certior, nihil ex imperatis
 facere prætermisit, & supra domicilij
 portam.

a Ribera in eius vitâ. lib. 1. p. 13.

portam B. Virginis, sanctique Iosephi
imagines affigi iussit. Quid tu adhuc
causaberis, tibi ad ædificandam di-
ctandamue talem domum sumptus &
facultates deesse? Da veniam ad hanc
rem nec cenſu, nec ideã cares: in ædi-
ficare virtuti te oportet, eamque do-
mum moliri, quam totã olim æterni-
tate incolas. Vtrumque vt obtineas,
pietas te in S. Iosephum iuuabit, in re-
bus minimè operosis exercenda; nisi
tibi ipsi velis difficultatum larvas fin-
gere. Neque enim aut secum, aut in
conclavi eius Diui imaginem habere,
tam onerosum puto, vt ob spem tanti
emolumenti, quod inde ad te redit, &
occasionem, quam habes, eum sapius
ex imaginis aspectu innocandi, debeas
tantillum obsequij detrectare. Nobi-
lis quidam Venetus ope imaginis eius-
demodi è scelerum voragine, in quã
versabatur, emerſit; qui nisi quotidia-
nis eum Diuum officijs sibi conciliã-
set, actum de illius salute fuisset. Sed rei
gestæ seriem alibi tibi exponam, cum

de S. IOSEPHI ope, quam sui amanti-
bus ipse solet in animi morbis afferre,
tecum agam.

II. Erga quoddam vitæ illius my-
sterium singulari affectu propendere:
qualia sunt, eius virgineum cum Dei
Matre connubium; IESVS ab illo in
stabulo adoratus; fuga cum IESV &
MARIA in Ægyptum suscepta, & si-
quæ sunt his similia. B. Agatha à S.
Cruce animum ad sanctum obitum
adiecit, quando illi intra Redemptoris
nostri brachia mori concessum est. Si
perspectum mihi esset, amice Lector,
ad quam vitæ gestorumque insignium
partem animus se potissimum ferret,
afferrem hoc loco, diceremque illa,
quæ ad rem hanc præ cæteris mihi fa-
cere, ac iucunda fore viderentur. Id
cùm ignorem, audi, quanti Deus hu-
iusmodi exercitia in alijs æstimârit. Vir
Religiosus eximiè pius è Monasterio
B. V. in Monteferrato S. IOSEPHI fuit
perquàm studiosus, in cuius vitâ fu-
gam cum IESV & MARIA in Ægyptum
ador.

adornatam præ reliquis coluit. Is cum
olim appetente nocte ad Monasterium
rediret, à viâ aberrans ad montem de-
flexit, vt cogi se crederet, eâ nocte cra-
stine lucis, & ferarum illic grassantium
arbitrium opperiri; vbi cum tenebris
metus quoque ac horror se intende-
bat; cum illico virum conspiciatur ma-
tronæ comitem, quæ asino vecta filium
brachijs sustinebat. Quo ille occursum
mirè fuit recreatus, tunc præcipuè,
cum viator ille, à quo itineris ratio-
nem doceri cupiebat, insequi se præ-
euntem iussit, ita, quò tenderet, haud
dubiè peruenturum. Ergo simul iter
ingressi, nullum sermonem nisi de Deo
instituunt, tanto quidem viri Religiosi
commodo, vt totâ vitâ similem volu-
ptatem nunquam sit expertus: ad
quam & gaudium accedebat, quòd se
vicinum oppido, ad quod pergebat,
conspiceret. Sed illi lætitiæ magnus
pauor successit, vbi se vidit ab illo co-
mitatu destitutum, à quo tam securè
ducebatur: cum primùm enim eò de-
F 3 uenit,

uenit, vbi metus ac periculum aberant, comites disparuere. Quo prodigio confestim admonebatur, S. Iosepho se illam securitatem debere, cui per reliquam vitam multò iam arctius se obnoxium deinceps ac deuotum profitebatur.

III. Quotidie, aut semel quot septimanis Officium de S. Iosepho recitare: de paruo loquor, quod est admodum breue & dictu facile, haberi que in Enchiridio officiorum ac precum huius temporis potest: nos etiam ad libri huius calcem, eorum bono, qui recitare id volent, subiungemus, id precandi genus continuas Diui illius laudes recenset, quo multi eius amantes magno fructu ac solatio vtuntur; ex ijs alij quotidie, alij quouis Sabbatho, aut alio per hebdomadam die percurrunt; idque tam religiosè persoluunt, vt piaculo se dignos crederent, si prætermisissent. Verùm id nos quoque animet, quòd S. Iosephus longè liberaliùs nostram pietatem remunerere.

neretur : id ex eo colligimus, quod
Vrsularum Antistitæ Lauduni Ioan-
næ ab Angelis è Coseorum gente præ-
teritis annis audiit; quæ à Dæmoni-
bus aliquot, & imprimis à Leuiathan
obsessa crudelia acerbaque multa pa-
tiebatur : cumque esset omnis con-
siliij aduersus eam rabiem inops, vo-
to se obstrinxit, velle se vnus annè
spatio quotidie S. IOSEPHI Officium
dicere, & quavis hebdomade in eun-
dem finem aliquam corporis afflictio-
nem suscipere, si eius beneficio
à Dæmonum infestatione liberare-
tur. Biduo aut triduo post ab edito
voto, ad primum exorcismum Tar-
tareus hospes eijcitur, qui, quemad-
modum fuerat antè comminatus, in
eius fronte sanguinolentam Crucem
reliquit : alius quoque Dæmon inde
confestim interrogatus, cur alter ex
illâ migrasset, aiebat, S. IOSEPHVM
aduenisse, ac Leuiathan in fugam com-
pulsisse.

IV. Litanias de S. Iosepho quotidie recitare, quæ plerumque paruo Officio adiunctæ, pulchrisque de vitâ maximisque priuilegijs illius encaenijs plenæ sunt. Non ita pridem librum viri pij ex Ordine S. Benedicti manuscriptum vidi, in quo pro priuato vsu quædam sibi pietatis exercitia annotarat: mihi præ cæteris Litaniam breues in eius Diui honorem factæ, magnisque illius laudibus resperstæ placuere; erantque ordine Alphabetico contextæ, siue vt in ijs recitandis memoriæ consuleret, siue vt nos doceret, omnes Alphabeti litteras, è quibus voces omnes componuntur, eius laudibus inseruire: vnde occasionem sumpsi, ad eum modum alias conformandi. Si tibi non displicuerint, poteris illis priuatim vtî; vt liberum tibi sit, aut maiores dicere, quas ad finem huius libri attexo, aut hisce breuioribus occupari.

LITA.

LITANIÆ
AD S. JOSEPHVM.

K Yrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Misere-
re nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, miserere
nobis.

Sancta MARIA, Sponsa S. IOSEPH,

S. IOSEPH Amator castitatis,

S. Ioseph Beatissime Beatorum,

S. Ioseph Confirmate in gratiâ,

S. Ioseph Decus Sponsorum,

S. Ioseph Exul cum Christo in Æ-

gypto,

S. Ioseph Fili David,

S. Ioseph Gener Ioachim & Annæ,

S. Ioseph Hospes Verbi Incarnati,

Ora pro nobis.

F s

S. Ios.

S. Ioseph Iustificate in utero ma-
 tris,
 S. Ioseph Lumen opificum,
 S. Ioseph Minister Circumcisionis
 Christi,
 S. Ioseph Nutritie pueri IESV,
 S. Ioseph Obiens inter brachia
 Christi,
 S. Ioseph Pater IESV CHRISTI,
 S. Ioseph Quærens IESVM in tem-
 plo,
 S. Ioseph Resurgens cum Redem-
 ptore,
 S. Ioseph Sponse B. Virginis,
 S. Ioseph Tutor Filij Dei,
 S. Ioseph Virgo Pater,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
 Parce nobis Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
 Exaudi nos Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
 Miserere nobis.

*Ora pro nobis S. IOSEPH;
 Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

O R E -

O R E M V S.

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Spon-
si, quæsumus Domine, meritis ad-
iuuemur; vt quod possibilitas nostra
non obtinet, eius nobis intercessione
donetur. Qui viuis & regnas cum
Deo Patre in vnitate Spiritûs sancti
Deus, per omnia sæcula sæculorum,
Amen.

Ad harum Litaniarum vsûm tibi
persuadendum, non pauca se mihi be-
neficia offerunt ijs concessa, qui eas
aut quotidie, aut aliquanto temporis
spatio sunt recitare soliti. Quod sub-
dam, omnium instar esto, sufficiatque,
vt ad eas aliquoties iterandas induca-
ris. Vrsulinæ Moniales à duobus an-
nis cogitabant Lambesci in Prouinciâ
sedem figere, in eam spem à quibus-
dam illius vrbs inquilinis inductæ.
Eò igitur se contulerunt, calenti, vt
videbatur, patrocinantium volun-
tate vsuræ. Verùm eò appulsis adeò
nihil ex illarum voto actum est, remo-

ris ac difficultatibus vbique obiectis,
 vt nemo omnium vellet suas illis ædes
 locare: vnde compulsæ sunt de reditu
 Aquas versus, inde enim aduenerant,
 cogitare. Antequam tamen recede-
 rent, statuerunt, S. IOSEPHI, quem eius
 causæ Patronum antè delegerant, o-
 pem sollicitare, ac per nouem dies post
 sacrificium eius Litanias dicere: Res
 mira! nondum finitis nouem diebus
 primarius quidam Sacerdos, qui S. Te-
 resiaæ templum recens ædificârat pro-
 pe urbem situm, Antistitam adiit, ei-
 que templum illud, ac domũ suam il-
 li contiguam cum omnibus fortunis
 ac bonis eò spectantibus obtulit.
 Quam conditionem ipsæ libenter ac-
 ceptârunt, statimque Moniales illuc
 singulari S. IOSEPHI beneficio immi-
 grârunt: a qui non solùm ipse voluit
 singularem earum curam habere, sed
 insuper sibi deuotissimæ Teresiaæ fidei
 in illâ domo ac templo committere,
 vbi peculiari cultu ipsa afficiebatur.

V. Sæ-

a *Lib. de gloriâ S. IOSEPHI.*

V. Sæpius aut quotidie illam saltem orationem dicere, quæ ad eum inuocandum composita est: illam intelligo, quam suprâ paruis Litanij subieci: breuis est, pia, & S. IOSEPHO accepta, vt omnes nos eius partes ad vsum inuitent, & ad Carnutensium Canonicorum imitationem prouocent, qui quotidie, hac illum oratione, tum suo pte in eum studio, tum Henrici Chycoti benefactoris sui voluntati obsecuti, compellârunt. Si ausim huc apponere, quidquid conciliare huic pietati existimationem potest, scias velim, in quodam Monasterio Monialium auctum numerum ei esse adscribendum, quemadmodum ex ipsius Antistitæ ore ante paucos menses coram accepi. Ad eius Monasterij disciplinam à pluribus iam mensibus nulla puellarum accessit, adultioribus eam solitudinem mirantibus: quibus ea, quæ cæteris præerat, in consilium adhibitis, deliberabat, num expediret, S. IOSEPHVM precari, vellet quibusdam

Instituti sui amorem impetrare: neque longa deliberatio fuit; sed iunctis animis ac votis omnes decreuerunt, ad sacri finem ab vniuersis per sex hebdomades Orationem de S. IOSEPHO in eum finem esse dicendam. Vix tantilla pietas præstari coepta est, cum confestim de puellæ cuiusdam sancto desiderio inaudiunt, cui in ipsarum coetu diuinoque obsequio viuere ac mori decretum sit. Quod beneficium in illâ familiâ nulla obliuio delebit, omnesque ad collocandam in S. IOSEPHO fiduciam excitabit, cui se vt Patri optimo committant, illa præsertim Virgo, quam iure possis S. IOSEPHI filiam appellare, vt grato animo præstitam sibi illius patrocini gratiam æternum prosequatur.

VI. Certum in hebdomade diem cultui S. IOSEPHI peculiariter destinare: commodissimus videtur esse Sabbathi dies, vt eodem die simul possit cum SS. sua Sponsâ coli, *a* Hoc tempore

a Ex Manuali precum huius temporis,

pore aliqui Dominicum diem SS. Tri-
 nitati, & S. Angelo Custodi conse-
 crant; Feriam II. Deo Patri, & Anima-
 bus Purgatorij; Feriam III. Dei Filio,
 & S. Annæ; IV. Spiritui sancto, & Di-
 uo Tutelari, cuius nomen gerunt; **V.**
 Venerabili Sacramento, & sanctæ Bar-
 baræ, quæ solet clientibus suis gra-
 tiam in morte SS. Viaticum percipien-
 di impetrare; VI. Morti ac supplicijs
 Seruatoris nostri atque sancto Lauren-
 tio, qui hoc die quot septimanis ani-
 mam è Purgantibus flammis liberat;
 Sabbathum Dei Matri, & S. IOSEPHO
 Sponso eius. Quid verò pro eius ho-
 nore hoc die potissimùm suscipias, ti-
 bi præscribere, animus mihi non est:
 ab affectu postulanda hæc sunt, quo
 quisque in hunc Diuum propendet.
 Pium quoddam opus, eleemosynæ, sui
 castigatio, aliquod è pijs exercitijs,
 quæ hoc Capite continentur, aut om-
 nes hæc exercitationes, aut si quid Spi-
 ritus sanctus dictabit, ea sunt, quæ fa-
 cere expedit.

VII, Se-

VII. Septem dolorum meminisse, quos S. Iosephus persensit, ac septena gaudia, quibus fuit in vitâ recreatus. Ad hanc pietatem ipsemet S. Iosephus nos instituit, cum duos è S. Francisci familiâ grauissimo mortis periculo eripuit. *a* Prius rem enarrabo; tum subijciam, quinam illi dolores, quænam gaudia sint. Hi itaque Religiosi duo viri è nauî, quæ in medio mari à sæuâ tempestate fuit naufragium passa, salui euaserunt, cæteris omnibus, qui vnâ nauigabant, mari haustis: neque mitius fuisset cum illis actum, nisi tabulam arripuissent, cui tribus diebus ac noctibus innatârunt, hinc inde procellarum arbitrio iactati. Quo in discrimine omnis eorum spes in S. Iosephi ope versabatur, quam in hac extremâ calamitate inclamârunt. Neque irritæ preces fuere: is enim iuuenili egregiâ, blandaque specie illis conspicuus, iubebat eos bono animo esse, simulque ad portum commodum applica-

a Ex lo. Fano.

applicabat. At illi ignari, cuius hoc beneficium esset, eius nomen & conditionem ab ipso sunt percontati, ne unquam illis tam excellens beneficium excideret: quibus ille, Ego, inquit, sum S. IOSEPHVS; simulque illis auctor fuit, uti quotidie septies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad recolendos septem illius dolores, & gaudia recitarent: quo dicto disparuit.

Septem verò dolores hi sunt. 1. Dum SS. Sponsam suam gravidam deserere voluit. 2. Dum IESVM Infantem vidit in stabulo duro foeno incubantem, & frigori expositum. 3. Dum ex Christi Circumcisione dolorem concepit, quòd iam tum suum sanguinem profunderet. 4. Dum verba Simeonis die Purificatę Virginis audijt, gladium doloris eius animę vaticinantis. 5. Dum ad euitandam Herodis tyrannidem in Ægyptum fugit. 6. Dum intellexit, iam ex Ægypto reuersus, Archelaum Herodis filium regnare, ac patre suo
longè

longè crudeliorem & sceleratiorem esse. 7. Dum IESVM in Ierosolymitano itinere, quo templum petebat, amisit.

Septem gaudia hæc sunt. 1. Angeli adhortatio, iubentis metum ponere, ac MARIAM pro coniuge accipere. 2. Adoratio Angelorum, IESVM parvulum in præsepi salutantium, & cælestem cantilenam accinentium. 3. Nomen IESV, quod Filio Dei imposuit. 4. Verba Simeonis, cum dixit, Christum auctorem Resurrectionis, & multis causam salutis fore. 5. Miraculum in eversione Idolorum Ægypti, præfente IESV CHRISTO patratum. 6. Iussio Angeli, à quo admonebatur, denuo cum IESV & MARIA in Iudæam reverti. 7. Christi in templo cum Doctoribus disputantis occurfus.

Ita Religiosi illi edocti quotidie dolorum gaudiorumque sospitatoris sui meminerunt, eius monitis obsequuti; neque totâ vitâ destiterunt, eius seclientes profiteri, ac tam potentis amici auxilio niti. Penes nos est, num &
ipfi

ipſi velimus eam felicitatem conſequi, eumq; nobis officijs noſtris propitium reddere, qui nihil propenſâ amatorum ſuorum voluntate antiquius habet.

VIII. Ad S. IOSEPHI exemplum eodem animo iſdem verbis diuino ſe arbitrio permittere. Adeò enim Dei voluntate oblectabatur, vt quotidie diceret: *Vtinam viuam, & videam adimpletam voluntatem Dei!* Hæc vox illi familiaris fuit, quemadmodum ipſa Dei Mater S. Brigittæ reuelauit, & adiunxitque, hanc eſſe cauſam, cur tantâ in Cælo gloriâ fruereſſet: *Ideo magna eſt gloria eius.* Nihil porrò facilius eſt, quàm in hoc eum capite imitari, ac quotidie ſæpius iterare: *Vtinam viuam, & videam adimpletam voluntatem Dei!* ſaltem inducenda conſuetudo eſſet, manè ita loquendi, vt à diei exordio diuinæ nos voluntati conformes redderemus; qui actus virtutis eſt præ cæteris arduus, & ſumma noſtræ perfectionis.

CAPVT

a Lib. 6. Reuelat. cap. 59.